



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 14. Summi Pontificis & Catholicorum querelæ contra hæ pacta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

publicum sectæ exercitium viget, Tem-
pla & Scholæ Lutheranis relinquantur, etsi Cæsar vel alii Catholici jus
collationis, vel Patronatus vel soli vel
cum Lutheranis habeant. X. Luthe-
rani a publicis officiis non excludan-
tur, eisque bona vendere vel alio mi-
grare liberum sit. XI. Concedatur Lu-
theranis Consistorium sub Præsede ta-
men Catholico: His pactis utrinque
firmatis Lutherani Sueciæ Regem velut
alterum Deum, aut hominem divini-
tus missum immodicis laudibus depræ-
dicabant, & quamvis Rex Borussiae ean-
dem pro Calvinistis peteret libertatem,
id tamen ei denegabant.

Sæc. XVII.
A. C. 1707.

§. XIV.

*Summi Pontificis & Catholicorum
querelæ contra hæc pacta.*

Cum infelicissima hæc pacta Catho-
licorum rebus oppido exitialia ac
perniciosa essent, præprimis P. Fride-
ricus Wolffius celeberrimus Jesuita omni
rationum, detexeritatis & eloquentiæ
apparatu, necnon singulari humanita-
tis, omnique officiorum genere Socie-
tatis suæ oppressionem deprecatus est,
simulque Stralheimio Sueciæ Legato
varia tot malis medendi media propo-
suit, nil tamen obtinuit: Petierunt in-
super

Gottfrid
Hist. cont.
Chron. 1. 15.
p. 668.

Sæc. XVII. super Deputati Cæsarei, ut saltem Ecclesiasticis alimenta aliunde jure naturæ debita ab eorum beneficiis ab inmemorabili tempore possessis suppeditarentur, necnon Religiosis sumptus in construendis eorum Templis, Collegiis & Monasteriis facti refunderentur, ac denique Sacerdotibus, quibus eorum Ecclesiæ fuerunt ereptæ, de congrua interim sustentatione providetur, donec ad alias Parochias transferri possent, simulque eorum gregalia interim Tempora assignarentur. Verum ad has petitiones Lutherani arroganter haud toleranda responderunt, horum Sacerdotum potissimos vel esse Religiosos, vel aliis beneficiis provisionati, isti ergo ad alia Ordinis sui Monasteria reverterentur, hi vero suis beneficiis vivere, & pauperiores a ditioribus Parochiis sustentari possent: vicissim tamen Lutherani amplissimis concessionibus nondum contenti, insuper a Schlegensio Comite, Schlegenberg, & Langio Cæsareis deputatis audacter petierunt, ut ob sectam proscripti in patriam reverti, suis bonis restitui, eorumque proles suo more institui permitterentur, atque Ecclesiæ, quæ Catholicis exiguo usui essent, Lutheranis concederentur. Tam impudens Lutheranorum temeritas, atque inhumanitas

nitas ab Evangelicæ charitatis & tole- **Sæc. XVII.**
 rantix Spiritu adeo aliena Cæsareos **A. C. 1707.**
 Deputatos plurimum offendit, magis
 adhuc acerbo dolore iniquas hæc pa-
 cis condiciones ferebat Pontifex, qua-
 propter per suum in Cæsaris Aula Vien-
 næ agentem Nuntium Apostolicum de
 matura nimis cum Suecorum Rege
 facta pace ac restitutione questus, facta
 interim interpositione reclamabat. Ve-
 rum Imperator, cum Suecum in ipsa
 Silesiæ viscera jamjam sævientem, suis
 exercitibus in Hungariam, Italiam &
 Hispaniam dispersis, armorum vi pro-
 pulsare haud posset, necessitate, metu-
 que gravissimo adactus, hisce pactis
 jamjam consenserat; timendum omnino
 etiam erat, ne Suecus armorum suc-
 cessu elatus, atque opibus ac militibus
 ex Saxonia eductis exercitu prope di-
 midium auctiori potens, Bohemiam,
 Moraviam, utramque Austriam, ac
 demum etiam Hungariam a rebellibus
 Eterodoxis accersitus invaderet, atque
 in has quoque ditones Lutheri hæresin
 latius propagaturus, raptis everfisque
 Catholicorum bonis ac Templis dam-
 num rei Catholicæ haud reparandum
 inferret.